



I, 67

67.

I, 67.



1

*SERENISSIMI ET POTENTISSIMI*  
*PRINCIPIS AC DOMINI*  
**DOMINI**  
**FRIDERICI**  
**AVGVSTI**

**REGIS POLONIARVM**  
**MAGNI DVCIS LITHVANIAE**  
**RVSSIAE PRVSSIAE MASOVIAE**  
**SAMOGITIAE KYOVIAE VOLHYNIAE**  
**PODOLIAE PODLACHIAE LIVONIAE**  
**SMOLENSCIAE SEVERIAE ET**  
**SCHERNIKOVIAE**

**DVCIS SAXONIAE IVLIAE**  
**CLIVIAE ET MONTIVM VT ET ANGRIAE**  
**ET VVESTPHALIAE SACRI ROMANI IMPERII AR-**  
**CHIMARESCHALLI ET ELECTORIS LANDGRAVII**  
**THVRINGIAE MARCHIONIS MISNIAE ET VTRIVS-**  
**QVE LVSATIAE BVRGGRAVII MAGDEBVRGENSIS**  
**COMITIS PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICI**  
**COMITIS MARCAE RAVENSBERGAE ET BARBT**  
**DYNASTAE RAVENSTEINIENSIS**  
**ET RELIQVA**

**HEROIS GLORIOSISSIMAE MEMORIAE**

**ANIMVM IN VTRAQVE FORTVNA MAGNVM**

**ORATIONE ACADEMICA**

**DEMISSISSIME VENERATVS EST**

**CHRISTIANVS GODOFREDVS LAVRENTIVS RINK**

**I. V. CVLTOR**

---

**ALTORFII+**

**TYPIS IQD. CVIL. KOENIGSII ACAD. TYPOGR.**

FRIDERICI  
AVGVSTI  
REGIS POLONARVM  
MAGNI DVCE SACHSIE  
RVSIAE ET ALIA  
SARONIAE ET ALIA  
PRINCIPIS ELECTORIS  
SAXONIAE



CHRISTOPH  
GOTTFRID  
VON  
MANNING





**F**ficiatur adhuc, et in acerbo moe-  
 rore uersatur, quae summa alias  
 pericula inuicti animi robore sus-  
 tinere consuevit, acerrima Sar-  
 matarum natio. Dolent etiam nunc  
 grauissime, et merito dolent, Sa-  
 xones fortissimi, quod eum a se humanae condi-  
 tionis necessitate auulsum, et ex oculis suis ereptum,  
 sentiunt, cuius animi uirtutibus nihil maius, cuius-  
 que imperio nihil sibi salutaris gloriosiusque, ha-  
 buere. Lugent enim AVGVSTI sui mortem,  
 AVGVSTI, quem incomparabilem et dignissi-  
 mum immortalitate REGEM uniuersus terrarum or-  
 bis est admiratus; cui Polonia felicitatem suam, Sa-  
 xonia

xonia summum gloriae debet incrementum, et cuius rerum gestarum splendorem omnis suspiciet posteritas. Quid mirum, si non tantum illi populi, quibus ipse sapientissime imperauit, sed et uniuersum Imperium Romanum, cuius is columna firmissima et ingens propugnaculum fuit, atque omnis, qua patet, cultior terrarum orbis, quem magni nominis sui gloria illustrauerat, tantae iacturae grauitatem iam persentiscant, et in communis luctus ueniant societatem? Quidni ergo et nos in hoc coetu erudito mortem tanti tamque excelsi HEROIS, quae una omnium uoce comploratur, adhuc desileamus? quidni maxima eius facta, et inusitatae recolamus uirtutes? cum nulla tempora illustrius nobis suppeditent exemplum, quod maiorem habere uim possit excitandi studiosam iuuentutem ad cultum debitum et admirationem egregiarum mentium, maximorumque meritorum. Equidem tantae gloriae celebrandae prorsus imparem me esse confiteor; quippe qui non ignoro, in grauibus eiusmodi argumentis, eloquentissimis etiam oratoribus digna saepius uerba, et uocem, et uires, defuisse. Verum, quamuis permagnum atque arduum onus mihi impositum sentiam; ipsa tamen pietas, quae ad hoc suscipiendum me stimulauit, audaciam meam excusatura uideatur. Sed, ne animus rerum dicendarum copia, et amplissima summarum laudum ubertate, obruatur, unicum duntaxat particulam animo et oratione complecti decreui. Liceat itaque saltem AVGVSTVM IN VTRAQVE FORTVNA MAGNVM iam admirari magis, quam describere. Ut autem aures dicenti mihi praebent beneuolas, spectatissimi et honoratissimi omnium ordinum Auditores, non oro tantum, sed et propter argumenti, quod tractaturus sum, dignitatem, uestrum mihi fauorem ipse polliceor.

Quis

Quis uero est, qui nesciat, uariam esse commutabilemque uitae humanae rationem? Id enim non homines tantum priuati, sed summi etiam Principes, Regnorumque Moderatores, clarissimis demonstrant exemplis, uicissitudinem tam secundae, quam aduersae, fortunae experti. Ita nimirum supremus ille rerum dominator, DEVS, qui omnia consilio regit sapientissimo, agere cum hominibus solet, ut modo fortunatos demittat in casus tristes, modo iacentes euehat, quo eo facilius angustiae humilesque mentes ab erectioribus generosioribusque possint discerni. Non enim eodem omnes animo utramque fortunam ferre didicere. Sunt, qui et gaudio, et tristitia, aliquando opprimantur: sed sunt quoque fortes constantesque animi, qui neque prosperis rebus insolenter sese effeant, neque asperis perturbentur. Atque horum quidem illustrissimum quoddam daturus exemplum, AVGVSTVM demississime appello, quem merito in utraque fortuna MAGNVM atque ADMIRABLEM posteritati commendamus.

Vt uero inde exordiatu oratio, unde magnitudo tantae felicitatis primum duci debet; quid felicius fortunatiusque potuit esse AVGVSTO, qui iam felicissimus in hanc lucem prodierat, anno scilicet superioris saeculi septuagesimo natus, ex PARENTIBVS, in quibus omnia principalis uirtutis ac maiestatis munerata, et natura feliciter expresserat, et mirifice coniunxerat industria, et singularibus ornamentis fortuna cumularat. Ita nempe Heroum animae non amant, nisi splendide feliciterque ingredi terras, et magnarum uirtutum semina mox propullulantia secum afferre. Iam, si Diuum AVGVSTI Parentem, IOHANNEM GEORGIVM III, Principem Gloriosissimum, et eligendorum Caesarum auctoritate praepotentem,

B

tentem,

tentem, nominauero; cui non occurrit imago Herois in decus felicitatemque generis humani quondam prognati, rerumque gestarum gloria immortalis, qui, si peregrinum arcessere placeat cognomen, Germanorum Mars Vltor recte dicatur? Si Matrem, ANNAM SOPHIAM, ortu Principem Regiam, eamque Danicam, ac iam coelo receptam, appellauero; reuocabo uobis in mentem Principem pulcherrimis animi fortunaequae decoribus cumulatissimam, qua neque natura, neque ipsa uirtus, melius quidquam et praestantius fingere potuisset. Neque uero, uel tempus, uel uires, sufficerent, si quis uellet sigillatim recensere tot Heroas incomparabiles, tot sapientissimos populorum Moderatores, tot Principes Regesque summos, quos non Saxonia solum, sed et Dania, intra tot saeculorum decursum tulit felicissime. Quae enim posteritas non uenerabitur ista gloriosissima PRINCIPVM ELECTORVM SAXONIAE nomina, istam clementiam et benignitatem IOHANNIS GEORGII II, Aui; praesentem inuidumque animum Proauis, IOHANNIS GEORGII I; CHRISTIANORVM aequanimitatem et sapientiam; felicitatem splendoremque AVGVSTI; eiusque fratris MAVRITII robur ac fortitudinem; ALBERTI, Hectoris illius Germanici, magnanimitatem? Quis praeterea non suspiciat tot ueteres serenissimae huius Gentis FRIDERICOS: quorum aliis SEVERI, STRENGVI, BELLICOSI, aliis PACIFICI, SAPIENTIS, et MAGNANIMI, cognomen, sua cuiusque uirtus comparauerat? Obtundar dicendi copia, si cogitationem sermonemque uenerabundus conuertam etiam ad maternum, idque Regium AVGVSTI Genus, quod tot FRIDERICIS, tot CHRISTIANIS, tot aliis DANIAE REGIBVS, omni uirtutum ac fortunae gloria superioribus, iure meri-



meritoque sese effert. Et quid de Daniae tantum Saxoniaeque gloria loquor : cum splendor huius utriusque stirpis per plurium saeculorum successionem tam longe lateque se diffuderit, ut iam saepius coaluerit cum CAESARVM aliorumque REGVM sanguine, neque ullas PRINCIPVM MAGNORVM Gentes colat Europa, quae non in utriusque istius stirpis nomen ac genus identidem conuenerint ? Quidquid igitur uirtutis ac gloriae in tantis Parentibus exsplenderat, et quidquid in utrorumque gloriosissimis Maioribus unquam suspexerat orbis christianus; id in AVGVSTI nostri generationem felicissima confluxerat fecunditate, eiusque animum ad magna et excelsa quaeque sectanda mature accenderat.

Solent praestantes animi neque tunc latitare, quando alias per ineuntem aetatem omnia in homine parua sunt. Ipsa cunabula de Herculis testabantur fortitudine; et noster AVGVSTVS, in teneris adhuc annis, dedit inusitata prudentiae atque uirtutis specimina, ut iam illo tempore magnitudine animi, et corporis robore, conferri cum Principibus potuerit, quorum res gestas posteri etiamnum admirantur. Neque uero egregiam hanc indolem solis adscribendam putemus natalibus : siquidem non minimam tantae uirtutis partem educatio sibi uendicat, quae tam felix contigerat AVGVSTO, ut, cum alios aliena potissimum respicere oporteat exempla, ipse paterno in primis exemplo ductuque felicissime institueretur. Magni certe momenti est institutio Principum : quorum mores, quamcunque in partem inclinent, publicam salutem, aut exitium, secum trahunt. Sed hac etiam ex parte fortunatissimus erat AVGVSTVS, cuius adolescentia uirorum dexterrimorum curae fuit concredita, et quem praeterea tam illustre uiuumque exem-

plum domesticum ad summa quaeuis excitauit. Ipse enim MAGNVS PARENS inter tot tropaea sua docuit filium, quibus gradibus ad immortalitatem sit enitendum, et ipse finxit, instruxitque sobolem ea uirtute, quae omnia maximi Principis decora complectitur; et ea ratione felicitatis gloriaeque comparandae imbuit, qua nulla certior illustriorque esse queat. Fortunatissima erat ipsa Saxonia, quae postero tempore auspicate educationis fructus percepit uberrimos. Neque quisquam facile Princeps iuentutis, uel maior, uel felicior, in peregrinatione sua uisus est, quam AVGVSTVS. Hunc enim uel eo nomine dixeris Herculem, quod omnem fere Europam per biennium peregrinando emensus est, Hunc iam tum suspexit amauitque Germania, tamquam futurum Germanicae libertatis maiestatisque assertorem. Gallia iam tum ab eius armis futura potentiae suae nimium crescentis metuit impedimenta. Hispania animaduertit in eo futurum prouinciarum Austriarum Belgii uindicem. Italia, Pannonia, Lusitania, dotes eius inusitatas, multorumque saeculorum exemplis maiores, agnouerunt, dignisque ueneratae sunt laudibus. Sic, ubi non minore gloria, quam felicitate, auctus, incolumisque, reuerterat in Saxoniam, patria supra modum in laetitiam effusa, et quasi proximas rerum mutationes praefagens, reduci PRINCIPI suo ubique applaudebat, et ipsa fortuna tantis uirtutibus explicandis iam maius parabat theatrum.

Anno superioris saeculi nonagesimo quarto, contra uota omnium mors immatura, in florentissima aetate, prosperissimoque rerum cursu, rebus humanis eripuerat Diuum IOHANNEM GEORGIVM III, Principem Electorem Saxoniae tantis adornatum uirtu-

uirtutibus, quantas praestantissima mortalium natura recipit. Qui luctuosissimus casus non Saxones tantum, sed et uniuersos Imperii ordines, eo affligerat grauius uehementiusque; quo illustrius decus ac praesidium in longiore TANTI PRINCIPIS uita omnes constituerant. Solus tunc supererat AVGVSTVS, qui, adita hereditate, tam grauem solaretur calamitatem, tamque acerbum populi sui luctum non minueret tantum, sed et exhauriret. Quid uero aliud fortuna tunc egisse uidebatur, quam ut festinatione citius admouere gubernaculis florentissimarum Saxoniae prouinciarum, eamque iam tum ipsi deferre dignitatem, quae Regiae Maiestatis uere est aemula? Neque enim non debuerunt PRINCIPIS INCOMPARABILIS dotes mox in ore et luce omnium multo ornatiores apparere; cum ipsae tam ingens decus afferrent Europae, totiusque terrarum orbis, qua meliorum partium est, oculos animosque in se conuerterent.

Quid mirum igitur est, mox tertio post anno accidisse, ut is, qui iam Regibus aequalis, et ad gubernanda regna natus erat, ipsa etiam Regiae maiestatis insignia capefferet, et illo ipso die, qui in fastis Herculis nomine insignitus erat, tanquam Hercules orbis christiani solennissime inauguraretur. Fatis tunc concefferat IOHANNES III, Rex Poloniarum, cuius res gestas omnis posteritas loquetur. Inter quamplurimos huius regni candidatos nullum digniorem maioremque, uel animo fingere, uel expetere uotis, poterant Proceres fortissimae illius nationis, quam AVGVSTVM, Principem omnes Regias uirtutes suo sinu complexum. Ac sane ipsa rerum temporumque ratio exigebat, ut talis tantusque REX regnum illud Martium, inque ultimis orbis christiani excubiis

C

fitum,

fitum, uirtute et auctoritate sua aduersus barbaros tueretur, simulque in uniuersum rebus Germaniae tunc admodum turbulentis confuleret.

Multi conuenerant, quae post excessum IOHANNIS III affligerent Polonorum Republicam. Aera militaria importune flagitabat miles, ad iussa detrectanda iam concitator. Procures, omnesque regni ordines, secum discordes intestino flagrabant odio. Turcae, hostes christiani nominis infensissimi, non Sarmatis solum, sed et omni Germaniae, graue ac periculosum intentabant bellum. Tunc uelut diuinitus excitabatur AVGVSTVS, qui tam dubiis aduersisque rebus magno animo subueniret, ac publicae salutis suas opes, suas uirtutes, seque ipsum, consecraret. Experta statim est Polonia, quantum ad populos sapienter feliciterque regendos interfit, Regem habere, qui animo sit excelso, et uirtutibus exaggerato, ac cuius auctoritate atque consiliis in omni felicitatis spem populus iure possit erigi. Reuocabatur enim in regnum fides et auctoritas; summoebatur ab exercitiis seditio; accedebat iudicis auctoritas, incrementum commerciis, ac generatim iustitia, industria, decusque pristinum, Reipublicae reddebantur. Hostes exteri, cum AVGVSTVM intelligerent Regem Poloniae esse datum, cuius inuictum robur in Pannoniis paullo ante magna cum suorum clade fenserant, animis ita fuere fracti, ut mallent, quae Polonis eriperant, aequis conditionibus reddere, ac, pace obtenta, Regem Regnumque Sarmatarum comiter reuereri; quam ancipitem belli fortunam temere experiri. Tantam scilicet in hostium animis uim habet nomen magni Herois, ut, audito illo, terreantur; territi pacem ultro quaerant, petantque. Atque sic quidem omnia ex uoto succedebant AVGVSTO;  
qui

qui nihil, nisi uirtute duce, et comite fortuna, suscipiebat, ita, ut ubique PRINCIPIS MAGNANIMI gloriam promereretur. Et quae non alia prosperrimo euentu agitauit gessitque REX FORTISSIMVS, in quibus considerandis distracta mens nescit, sitne REGIS OMNIBVS MAGNAE VIRTUTIS FORTVNAEQVE ORNAMENTIS EMINENTISSIMI sapientia et animi magnitudo, an felicitas magis, admiranda?

Verum, hisce dotibus orbi terrarum magis demonstrandis, ornandisque, ampliorem adhuc occasionem parabat fortuna, ne nihil non singulare et magnum in rebus TANTI PRINCIPIS occurreret. Mortuo scilicet IOSEPHO, MAGNO MAGNI LEOPOLDI FILIO, Imperium Romanum, cui tunc temporis undique hostes pericula summa, et extrema quaeque, minabantur, Imperatore suo, imo Parente et Tutore, erat orbatum. Neque tamen in hoc interregno amplius aliquid detrimenti capiebat Germanorum Respublica; sed sapientissime omnia et felicissime fuere administrata. Inquirentibus in causam rerum tam prospere gestarum, sufficiat nosse, IMPERATORIS tum uices gessisse AVGVSTVM.

TIBI, O INVICTE AVGVSTE, tuisque beatis manibus, magnam debet partem felicitatis suae Germania; Polonia magnificentiae; splendoris Saxonia; et si quis in his terris ab omni parte beatus esse possit, tunc profecto, cum non in unius saeculi, sed plurium, decus genitus esses, prae multis aliis dignus eras, cui omnia bona, omnemque prosperitatem, fortuna cumulatissime elargiretur. Et sane, quicquid ea TIBI tribuit, non erat, nisi magnum, nisi inusitatum, omniumque temporum admiratione dignissimum. Qui enim fortunatus PRINCEPS, gloriosissimus ELECTOR, maximus REX, et sapientissimus Imperii eras VICARIVS; eras

etiam optimae PRINCIPIS optimus MARITVS, magni FILII  
felix PARENS, atque exoptatissimorum NEPOTVM NE-  
PTVMQUE uenerabilis AVVS.

Novimus quidem ex omni acui monumentis,  
saepius accidisse, ut quidam Principes quae sitam domi  
gloriam in publico, aut in publico partam, domi, per-  
diderint. At TIBI, Diue AVGVSTE, quanta con-  
cordia, quantusque cumulus omnium laudum, omnis-  
que gloriae et felicitatis, contigerat! Utinam tanta  
uerbis meis inesset uis, tanta linguae meae eloquendi  
facultas, ut incomparabilem pietate, prudentia, et  
humanitate, Principem, CHRISTIANAM EBER-  
HARDINAM, Serenissimi Principis, CHRISTIANI  
ERNESTI, MARCHIONIS BRANDENBVRGICO-  
BARVTHINI, filiam, AVGVSTI coniugem, omnis  
bus animi corporisque dotibus ornatissimam, digni-  
laudibus condecorare possem! Sed, quid opus est,  
collaudare uirtutes, quarum memoria in omnium ui-  
get, uigebitque, pectoribus, et quarum tot praeclara  
passim extant testimonia atque monumenta, quae nul-  
la aetas sit obscuratura, nulla deletura obliuio. Quis  
uero dubitet, huius auspiciatissimi connubii felicitate  
reuera magnum extitisse AVGVSTVM, inprimis  
cum heredem ex illa susciperet FRIDERICVM AV-  
GVSTVM, in quo fortitudinem Patris, Matrisque  
clementiam, Germanae aequae, ac exterae gentes, ad-  
mirantur?

Tanta, auditores, AVGVSTVS publice priua-  
timque usus erat felicitate! Ecquis uero generosam  
PRINCIPIS HVIVS non suspiciat mentem; utpo-  
te quam neque excelsissimus ortus, neque summi, quos  
consequi mortalibus licet, honores, fecere superbam;  
et quam fortuna secunda nunquam ad alios laedendos,  
uel iniusta uis sibi subiiciendos, sed ad suos conseruan-  
dos,

dos, et ad Regnum Patriamque impulit defendendam. Frustra itaque eum ab animi excelsitate deiicere casus aduersi tentarunt, quem prosperae res, neque immoderatum, neque in potestate et gloria insolentem, unquam reddidere.

Promeruerat ubique omnia secunda REX SVPER HVMANAM NATVRAM FIDEMQVE ERECTVS : quae autem ab inconstantia seiungi non potest, fortuna, etiam in hoc tanto Principe suam uim experiri uoluit. O falsam uolucrumque fortunam ! Itane tuam omnes sentire necesse habent mutabilitatem, ut nec uirtus effugere uices tuas possit ? Sed quid fortunam accuso, quae, quamuis infensa ad tempus uisa fuerit AVGVSTO, non tamen nisi longe patientiorem campum materiemque uirtutibus ac gloriae eius aperuit. Bene sapienterque censuit eloquentissimus ille uirtutum Traiani praeco, secundis felices, aduersa magnos, probari Principes. At enim uero, hunc AVGVSTVM, utraque, et secunda, et aduersa, probauere REGEM MAGNUM ET NEVTRI FORTVNAE SVSTINENDAE IMPAREM. Nunquam tamen excelsus TANTI HEROIS animus tam luculenter tamque splendide uniuerso innotuisset orbi, nisi eum admirabili mentis praesentia acerbis identidem conflicari cum casibus, eosdemque inuiso robore superare, uidisset. Vidit autem, tantarumque rerum gestarum aspectu obstupefactus, cognouit incredibilem constantiam fortitudinemque, quam nulla unquam fatis praedicabit posteritas, neque ipsa praesens aetas satis potuit admirari.

Nolo hic pericula itinerum, praeliorumque percurrere discrimina ; quae, licet magna omnino fuerint, si tamen cum aliis, quas excelso animo AVGVSTVS superauit, componantur difficultatibus, non erunt nisi exigua appellanda. Ecquis enim par est

D

expo-

exponendis omnibus laboribus, quos, ut Polonici Regni habenas, non suo, sed Reipublicae illius, et Imperii Germanici, emolumento, Europaeque tranquillitati, capesseret, fortissime sustinuit **ALTISSIMI PRINCEPS ANIMI**: siquidem omnem laudem, omnem gloriam suam, in patria communi conseruanda positam esse, arbitrabatur. Dicit uero non potest, quantas tunc Gallus adhibuerit machinas, ut Contium, Ducem, quem sine dubio postea ad augendas Galliae uires in belli societatem contra Germaniam traxisset, Sarmatis Regem sibi electuris obruderet. Nullis ille sumptibus, nullis parcebat, ad animos sibi deuinciendos, artibus, quibus etiam id effecerat, ut multis Procerum Polonicorum suffragiis suffultus, Regnum fere in manibus habere uideretur. Verum enim uero demonstrauit illo tempore supremus humanarum rerum moderator et arbiter, **DEVS**, in suum esse potestate, regnis praeficere Reges, Principibusque imponere coronas. Coniunguntur instinctu quodam atque afflatu diuino mentes paullo ante dissentientes: Rex eligitur **AVGVSTVS**, et, renitentibus licet iis, qui Gallo fauebant, solennissimo ritu, aperto in campo adis **DEO** gratiis, renuntiatur.

Atque sic nihil omnino tunc temporis Poloniae, quae **REGEM** obtinuerat **SAPIENTISSIMUM BENIGNISSIMUMQUE**, ad summam defuit felicitatem. Sed, quod indignabundi audient posterius, magna Procerum pars, quorum, qui primas tenebat Regni, dux auctorque erat infelix, coeco impetu in pericula ruere, quam sub **REGE OPTIMO** exoptata frui tranquillitate, malebat. Accersitur ille aemulus e Gallia in Poloniam; accersitus uenit: uix autem uenerat, cum non sine dedecore in Galliam se recipere haberet necessum. Elucebat hic potissimum uirtus **AVGVSTI**, qui  
summa



summa prouidentia flammam, quae omnem facile Poloniam deuoratura fuisset, extinxit. Superauit tantas, in quas delapsa erant omnia, difficultates, GLOSIOSSIMI PRINCEPS EXEMPLI, non tam hostium caede, nec agrorum deuastationibus, sed sola animi magnitudine, atque inaudita erga aduersarios lenitate. Potuisset omnino, si iustae uindictae indulgere uoluisset, iniurias sibi illatas acrius ulcisci, quae uero innata ipsi erat clementia, ignouit omnibus, suaeque animaduertendi moderatione ita inuidiam mitigauit, ut sceleris sui ipsos poeniteret auctores. Testis huius rei est ille ipse primus Procerum Polonicorum, quem sic humanitas uicit AVGVSTI INDVLGENTISSIMI, ut, quas fateri uiuum pudebat, moribundus tamen agnosceret iniurias, Domino atque Hero suo clementissimo a se factas, eademque humiliter deprecaretur. O incomparabilem hostis ulciscendi modum: praetermittere poenam, quae iuste posset infligi; ignoscere offendentibus, ubi nulla excusatione crimen potest defendi! Ita uero, AVGVSTE, ciuibus admirandum, hostibus adorandum, omnibus maximum, te exhibuisti! Ita feliciter superasti, quicquid periculorum aduersa fortuna tibi fuit molita!

Nunquam autem plura excelsi animi specimina dedit REX ADMIRABILIVM RERVM GLORIA SEMPER MAGNVS, quam afflictis illis temporibus, quibus hostes cum exercitu in Poloniam Saxoniamque, tanquam in praedam, inuasere. Sed quae qualisque belli illius fuerit caussa, aliis indagandum diiudicandumque relinquo. Nimirum AVGVSTVS, iam Rex Polonorum electus, Sarmatiae commodis nihil prius, nihil habuit antiquius. Conferebat omnes curas cogitationesque in Populorum sibi commissorum dignitatem, et, sanctioris promissi me-

mor, pristinumque Regno decus ac robur restitutus, partes aliena ui a corpore auulsas non sibi, non Saxoniae, sed Reipublicae, sed Sarmatis, recuperare, iniuriasque alias, et quicquid obfuerat, defendendo, aut uindicando, propulsare, annitebatur. Quid autem dignius, quid Regi potest esse laudabilius, quam si ipse primus pactis stare, suoque exemplo praecire populo, contendit, sicque nullis periculis, nullis fortunae casibus, a constanti suorum tuendorum iuandorumque proposito reuocatur?

Et talis quidem fuit AVGVSTVS; AVGVSTVS, cui, ne tutae tranquillaeque pacis fructus eriperentur, ad arma erat recurrendum. Neque deerat ab initio fortuna REGIS AEQVISSIMI CONSILII, qui pacem honestam, qui regni sui iura, quae obtineri alia ratione non poterant, bello quaerebat. Sed, o incertos belli exitus! o mutabilem armorum fortunam! Vincunt hostes antea uicti, uictoriae facti audaciores, bellum in Poloniam, ipsamque tandem Saxoniam, detrudunt, et, quod feri mirabantur dolentque posteri, anno huius saeculi sexto Saxonum prouinciis grauissima quaeque mala inferunt, ipsumque AVGVSTVM e Regia sede deturbare, ciues et subiectos ad uiolandum, quo Principi erant obstricti, iusiurandum permouere, atque, ut uno omnia uerbo complectar, summa imis miscere, nihil dubitabant.

Quid faceret tunc REX MAGNANIMVS, qui malebat ciuibus, quam sibi, parcere, illorumque magis, quam suam, quaerere salutem? Praedicandus mihi hic magnus esset AVGVSTI animus, quem turbulentissimis illis temporibus omnibus in rebus mirifice demonstrauit. Verum enimvero amplitudine argumenti, et mea loquendi infcitia, deterreor. Durior fortuna haudquaquam imminuit uirtutes AVGVSTI; utpote quae

quae in dies creuere, maioresque hinc exsplenduerè,  
quam ut uerbis possint exprimi.

Cogitate, auditores, et animis uobiscum perpendite, inauditum plane, quod AVGVSTVS dedit, specimen, non prudentiae tantum et animi excelsi; sed maximi potissimum erga suos amoris. Infederat in uisceribus medullisque Saxonum hostis, et, quicquid uirium afflictis adhuc inerat, ui extorquere laborabat. Videbatur imminere Saxoniae exitium, cum, ut patriam hanc suam conseruaret, ut Sarmatiae redderet tranquillitatem, PRINCEPS OMNIUM OPTIMVS mallet iniuriarum, quas erat perpeffus, obliuisci, quam uti uictoria, ad Calischium reportata, qua ipse suorum ductor terruerat hostes, et ad iustam uindictam profequendam sibi nouam aperuerat uiam. Ita nimirum asperas et indignas conditiones, ab imprudentibus conciliandae pacis ministris sancitas, iustissimo bello, in quo fortuna quasi reuirefcere coeperat, tunc duxerat praefereudas.

O incredibile uim, quam in generosis mentibus exerit patriae amor! Ut te, Saxonia, ab euerfione imminente, ut te, Germania, a mali maioris metu, liberaret AVGVSTVS, omnem ulciscendi, quam in manibus habebat, praetermiffit occasionem: uictor cessit uictis, deseruitque, qui soli ipsi debebantur, honores, et, ut animi sui magnitudinem omni aeuo testatam faceret, de potentiae iuriumque suorum magnitudine deceffit, eo GLORIOSIOR SUI IPSIVS VICTOR, quo pauciores in omnibus saeculis reperti sunt Principes, qui regnandi cupiditatem, quam qui hostium copias, uincerent: eoque DIGNIOR tunc uifus, qui multo pluribus populis regnisque imperaret, cum regni sui dimitteret fasces, atque hostis fortunam animi celsitate, pertinaciam humanitate et prouidentia, superaret.

E

aret.

raret. Quid uero excogitari maius, quid de Principe dici magnificentius, potest, quam eum sic amare ciues suos, ut salutis omnium causa nullum fortunae discrimen reformidet, et omnibus uictoriis, triumphis, ipsique summo dignitatis humanae fastigio, tranquillitatem patriae anteponat? Quot regna, quot respublicas, uideremus flore adhuc suo ornatas atque splendescentes, si, quibus paruerunt, moderatores, ut iniurias a suis depellerent, AVGVSTI nostri exemplo, iniurias ipsi aliquantisper perferre maluissent! Neque enim minor fit, aut iacturam facit, qui temporis ac necessitati prudenter nouit cedere. Venit tempus, quo IUSTISSIMUM, quod bonae causae non potest non fauere, NUMEN, iniurias ulciscitur, et, oppressis hostibus, erigit eos, qui antea uidebantur oppressi.

Atque ita anno huius saeculi nono illucescebat dies ille auspiciatissimus, qui, repentina rerum conuersione, hostibus cladem, fugam, et interuentionem; Saxonibus decus ac dignitatem; Sarmatis libertatem, et ipsum libertatis uindicem acerrimum, REGEM suum, ex omnium bonorum uoto atque desiderio, felicissime reddidit. Haec est pulcherrima illa omnique futurae aetati commemorabilis uictoria, ad Pultauam obtenta, qua nihil est, quod RUSSIS gloriosius, et FOEDERATIS opportunius fructuosiusque, contingere potuerit. Apparuit tum, quam prouisi ad obsequium soleant redire, qui a Rege suo non defecerant, nisi hostis metu deterriti. Negari quidem non potest, fuisse, qui id operam dederint, ut nouis turbis ansam suppeditarent: uerum, qui iam saepius magno animo tot represserat contentiones, REX MANSUETISSIMVS, sequenti etiam tempore reluctantium conatibus resistit, ita quidem, ut potentiam eius nemo sensisse uideatur,

deatur, nisi aut promeritae poenae remissione, aut accessione dignitatis, aut quorumcunque beneficiorum insignium cumulo.

Permittite, Auditores, ut, qui inuisum AVGVSTI animum, quem in tot casibus, in tot rerum discrimini- bus, imo et in secunda fortuna, demonstra- tum, admiratus fuit orbis uniuersus, uobis in memo- riam reuocauit, si modo id, quod nulli unquam obli- uioni est obnoxium, reuocari in memoriam potest; permittite, inquam, ut et in causas tanti roboris et animi excellentiae paullisper inquiram.

Ante omnia autem a te, AETERNE DEVS, et a tua, qua omnia gubernas, prouidentia, tantorum bonorum origo est repetenda. Tu enim amore in humanum genus inflammatus ita omnes cura tua at- que bonitate iuras, ut, quo maioribus quisque ex- positus est periculis, eo certiora praesentis Numinis testimonia experiatur. Hinc illustriore quadam prouidentia rebus consulis Principum, qui quanto magis eminent, et quanto plurium salus ab ipsorum salu- te dependet, tanto firmitate praesidio defendendi sunt atque protegendi. Huius autem singularis prouidentiae uim diuinam, si quis alius, certe AVGVSTVS inprimis sensit. Quomodo enim, quaeso, fieri potuisset, ut tot malis, tot, quibuscum confi- ctus erat, rerum asperitatibus, quibus arcendis nullae humanae suffecissent uires, REX hic non fuisset oppressus?

DEVS enim, DEVS, PRINCIPEM TANTVM ad christiani orbis ornamentum praesidiumque, et ex- citauerat, et inuitatis instruxerat animi dotibus. DEVS ei adstitit in omni fortuna, et occultas aper- tasque inimicorum machinationes discussit. DEVS HEROIS TANTI consilia et facta ita prosperauit, ut nun-  
E 2 quam

quam res gesserit gloriosius, quam cum in grauissimis uersaretur periculis; neque splendidiore uirtutis suae fructus ceperit, quam cum formidolosae fortis tempestates inuictō animo essent subeundae.

Ecquis uero rerum gestarum magnitudine magis inclaruit AVGVSTO, et cui maiora animi corporisque dona diuinitus contigerunt? Videbatur profecto benefica natura in hoc exornando PRINCIPLE omnem uim, omnes diuitias suas, ostentare uoluisse. Nullam ea fingere potuisset augustiorem formam, Regiique corporis excellentiorem dignitatem; utpote quae omnium coram intuentium animis summam iniceret uenerationem. Vultus, uti maiestatis index grauissimus, ita plenus erat clementiae, mansuetudinis, humanitatis. Qui corporis uim et neruorum atque artuum firmitate eum aequaret, nostra aetate inuentus est nemo. Obstupuit eius uires humanis maiores Europa; obstupescunt etiam posterī, et PRINCIPEM hunc inter miracula aevi sui referent, si intellexerint, quanto ille robore instrumenta, ex quocunque firmissimo metallo conflata, altera tantum manu, et quasi ludibundus, haud secus, ac leues chartas, complicarit.

Verum, qui incredibili corporis robore MAGNVS, idem animi supra humanum fastigium elati uiribus multo erat MAXIMVS. Nullum modum finemque orationis inuenire posse uideor, dum fortitudinem, dum sapientiam, dum magnificentiam, dum iustitiam, ceterasque uirtutes excellentissimas, quae AVGVSTVM IN VTRAQVE FORTVNA MAGNVM praestitere, ea, qua decet, ueneratione cogito. Annus erat post millesimum sexcentessimum octogesimus nonus, cum is in Moguntiae, quam Galli tunc tenebant, oppugnatione, iam suam demonstraturus fortitudi-

titudinem, PATRI FRATRIQUE, principibus, togae  
pariter ac belli artibus, gloriosissimis, socium se da-  
ret decertandi cum hoste cupidissimum. Et quem,  
quaeso, in armis tractandis eligere sibi magistrum po-  
tuisset magis exercitatum, magisque inuictum, quam  
PARENTEM SVVM, Martem illum Germaniae, cu-  
ius uitam et consuetudinem mature exprimere, ad im-  
mortalis gloriae fastigium certissimam sibi uiam du-  
xerat.

Vix castra, non sine eximia laude uirtutis, reli-  
querat PRINCEPS AD OMNE DECVS EXCITATISSIMVS,  
uix deposuerat arma, sagumque, cum non delecta-  
tus quiete, aut remissione, sed generosi instar leo-  
nis, data iusta occasione, denuo in hostes ferretur.  
Testis est Rhenus, testes sunt plures ciuitates atque  
regiones, quam intrepidus, imo quam alacris fortis-  
que, HEROS HIC iam tum hostium insultus sustinue-  
rit, patriaeque amore incensus maxima adierit peri-  
cula.

Quemadmodum uero, quibus altior spiritus, et  
mens insidet religiosa, nunquam non malunt barba-  
rorum, qui nostris exitium minantur sacris, quam  
christianorum, profundere sanguinem; ita reporta-  
tas a Turcis uictorias PRINCEPS ANIMI VIGORE ACER-  
RIMVS omni aliorum hostium internecioni longe prae-  
ferendas existimauit. Praedicat hunc suum defen-  
sorem Pannonia, uirtute EIVS a durissimo, quod bar-  
bari imposturi erant, iugo liberata. Contremiscit  
adhuc nomen ILLIVS effera illa et immanis, quae in  
Asia potissimum suum stabiliuit regnum, natio, ne-  
que unquam annos superioris saeculi postremos sine  
dolore acerbo recordatur. Ii uero, qui horum sae-  
culorum res gestas condunt, fute lateque exponunt;  
quam promptus manu consilioque, quam strenuus  
F praелиis

praelis fuerit, quamque solerter exercitum regere, sciuerit PRINCEPS VIRIBVS ET ANIMO VALIDISSIMVS. Quotiescunque enim cum copiis hostilibus conferuit manus, si non fortunae, tamen fortitudinis, gloria, semper discessit superior.

Cui uero praeterea ignota esse queat sapientia AVGVSTI, sine qua nunquam tam magnus in utraque fortuna esse potuisset? Haec enim animum PRINCIPIS AD OMNIA SVMMA NATI reconditis regnandi artibus instruxerat, atque ita firmarat, ut et modum imponeret rebus secundis, nec nimium crederet ferentati praesentis fortis, neque in ambiguo ancipiti-que rerum casu sine certo remedio alleuamentoque esset. Quid? quod nihil tam difficile tamque absconditum facile occurrebat, quod AVGVSTVS INGENIO IVDICIOQUE ACVTISSIMVS non sagacissime inuestigarit, perspexeritque; nulla tanta tamque ardua res erat, quam ille, et consilio regere, et tueri animi praesentia, et uirtute conficere, non ualuerit.

Hinc et manauit ille egregiarum quarumcunque rerum cognoscendarum amor, illa singularis in bonas artes earumque cultores munificentia. Quo maiore enim intelligentia IPSE erat REX SAPIENTISSIMVS in quibuscunque nobilioribus artificijs: hoc amplioribus stipendijs inuitabat locupletabatque, quoscunque probatissimos in arte sua magistros deprehenderat. Nefas foret, hic silentio praeterire magnificum illud et omni aeuo memorabile institutum, cum in terras ab Europa remotissimas sumptibus regiis dimitteret uiros doctrina et arte eximios, qui ad naturae inuestigationem se totos conferrent, et ea obseruarent, ea colligerent, eaque in has regiones transferrent, quae antehac nec audita nobis, nec uisa, nec ullo modo cognita, fuere. Habet certe omnis eruditorum ordo,





ordo, cur hoc nomine AVGVSTO dignas profiteatur grates ; sed et habet, cur magno pere doleat, fructus tam salutaris consilii tamque insignis liberalitatis REGI OPTIMO morte fuisse praereptos.

Nihil uero esse opinor, quod luculentius declararit, quam magno animo esset AVGVSTVS, quam inusitata EIVS magnificentia, summusque splendor, quae ubique MAXIMI REGIS maiestatem condecorabant. Quis enim regium cultum, quis ornatissimam aulam, quis pulcherrima ad reficiendos animos exstructa palatia, sine admiratione adspexerit ? Primus ille aedium magnificentiam in Poloniam introduxit, in Saxonia auxit, sic, ut huic quoque acclamari potuerit AVGVSTO, urbes eum, quas lateratitas inuenerat, reliquisse marmoreas. Iam uero, quid dicam de pompis spectaculisque splendidissime ab ipso ordinatis ? Ad excogitandum enim erat ingeniosissimus, et, quando cunctis omnia uidebantur perfecta, ipse tamen facile reperiebat, si quid, quod ad augendum facere poterat splendorem, erat praetermissum.

Longus essem, si ea, quae magnifice et splendide instituit AVGVSTVS, uellem enumerare ? Sufficiat unicum magnificentiae, quod inter reliqua eminet, adduxisse documentum. Castra dico ad Muhlbergam, ut in armis exercerentur milites, pacis temporibus posita; castra, quae splendore aulas regias, ornatu urbes ornatissimas, frequentia hominum, ciuitates copiosissimas, superabant. Videbatur tunc temporis omnis fere Europa in unum confluisse locum, ut apparatus militares pompasque solennes, quibus nihil ordinatius, nihilque admirabilius, esse poterat, suspiceret. Ipse instructissimi exercitus Dominus, reique bellicae et magnificentiae peritissimus,

REX PRVTENORVM, fateri habuit necesse, nihil sibi unquam magnificentius, nihil pulchrius, nihil splendidius, uisum fuisse.

An his, quae haecenus memorauimus, quicquam maius, quicquam illustrius, et ad gloriae aeternitatem efficacius, esse possit? Est omnino, iustitia scilicet, illa omnium uirtutum mater atque regina, e qua uera animi magnitudo, summusque uitae splendor, existit. Vel haec una uirtus decus AVGVSTI in immensum cumulauit. Quid enim is aequius iustiusque sancire potuisset, quam cum, praeter tot egregia instituta alia, singularium certaminum temeritatem, quae multorum saeculorum uitio incredibile quantum inualuerat, seuerissimo coerceret edicto, caueretque, ne amplius beluarum more per uim decertarent homines, neque modestia periculo, et innocentia audaciae improborum, impune exponeretur. Quid religiosius et iustitiae aduersus DEVM congruentius; quam cum indigne ferret, eum diem, qui publicae NVMINIS AETERNI uenerationi, et animorum corporumque quieti, in coetu christianorum consecratus est, ab irreligiosis hominibus nefarie profanari? Quid salutaris rei publicae, quam cum, promulgato AVGVSTALI IURIS SAXONICI CODICE, leges priscas emendari, et in meliorem ordinem redigi, iussisset, ut boni sine ambagibus defenderentur, ac cauillantium temereque litigantium improbitati obex tempestiue poneretur? Quid denique gloriosius facere potuisset, quam cum Saxonibus suis eam religionis libertatem, quae inde usque a repurgato sacrorum cultu steterat inconcussa, auspiciis suis ita perpetuo seruarit, ut nulla unquam hac de causa audita fuerit querela? Ibit enim, ibit in saecula, REGEM INDVLGENTISSIMUM ultum esse iniurias,

iniurias, cultoribus emendatae religionis illatas;  
exornasse antiqua horum templa; condidisse noua;  
nihilque praetermisisse, quicquid tranquillitati com-  
modisque eorum inferuire potuerit?

Sed, eheu, REGEM TAM SAPIENTEM, TAM IV-  
STVM, TAM INDVLGENTEM, REBVSQVE GESTIS TAM  
GLORIOSVM, ET IN VTRAQVE FORTVNA TAM MAGNVM,  
nunc e terris fata sustulerunt! Eheu, ereptus est re-  
bus humanis, qui in aduersis casibus ferendis, quibus  
alii haud raro fracti uitam exegere plenam solici-  
tudinis, plenam timoris, ipse tam fortiter tamque  
constanter uersatus est, ut suam salutem posteriorem  
communi duceret, et populis sibi subiectis incredibili  
charitatis exsuperantiam, uniuerso autem orbi in-  
auditam animi magnitudinem, testaretur! Eheu, de-  
cessit, qui sibi tunc felicissime beatissimeque uiuere ui-  
sus est, cum rebus secundis, quibus alii saepe insole-  
scunt, et ad suam aliorumque infelicitatem abutantur,  
tam moderate sapienterque uteretur, ut communibus  
succurreret fortunis, ut aliorum fortis afflictæ portus  
esset ac perfugium, utque ad prouehendam tot homi-  
num, tot populorum, felicitatem diuinitus datus ap-  
pareret. Vixit AVGVSTVS, PRINCIPVM EVROPAE  
GLORIA, REGVM DECVS, HEROVM EXEMPLAR, POPV-  
LORVM AMOR, quem omnes regiae uirtutes dignissi-  
mum probauerant, ut multis saeculis superstes com-  
munem mortalitatis legem exsuperasset.

Equidem uixerat ILLE gloriae immortalis satis:  
cum aetatem eodem semper uigore attigisset, quam  
PRINCIPES rarissimi; cum uirtutes regias in celsissi-  
mo maiestatis loco collocasset, easdemque per tri-  
ginta quinque annos in tam laboriosa statione appro-  
basset uniuerso terrarum orbi; cum diadema regium  
tot partis condecorasset laureis; cum populis suis pa-

G

cem

cem ac decus domi forisque afferuisset ; cum in ipsis postremis Regni comitiis, uelut spectante uniuersa Sarmatia, curis et negotiis pro salute publica susceptis immoreretur, et aequae magno pioque animo, ac olim capefferat, coronam et purpuram, ipsamque simul uitam, poneret, haud secus in morte, ac sol in occasu suo, maioribus uirtutum radiis refulgens. Nihilominus tamen PRINCEPS AVGVSTISSIMVS nondum bono Sarmatarum, nondum felicitati Saxonum fuorum, nondum Europae tranquillitati, fatis uixerat.

Itane uero tuos, quos semper amasti, quos defendisti, quos tot bonis exornasti, tam cito, tamque inopinato ex hac uita exitu, deserere potuisti, AVGVSTE CLEMENTISSIME ; tuos, quos nulla calamitas, nullae minae, non arma, non praemia, a fide et obsequio, quod TIBI debebant, poterant reuocare ? Respiciite, quaeso, BEATI MANES, respiciite, si iustarum uos querelarum non taedet, et considerate, quid in bonorum ciuium animis pietas, quid fidelitas, quid denique luctus in orbis christiani incolis, possit ? Nemo est, qui suum reticeat dolorem ; afficiuntur omnes temporum tristitia ; mihique ipsi communis maeror tandem silendi necessitatem imponit.

Imo uero non obiisti, non deseruisti tuos, AVGVSTE GLORIOSISSIME, qui, ne occidere unquam posses, ad aeterna properasti, qui immortalitatem cum mortalitate commutasti, qui coelum, a quo nostro donatus eras orbi, repetiisti, qui ingenti illa uirtutum tuarum maiestate uniuersi orbis christiani animos in te conuertisti, et perpetua defixisti admiratione, quam et ipsa intuebitur aeternitas. TVVM nomen, DIVE AVGVSTE, TVA facta, TVAS uirtutes, admirabuntur memores tantarum rerum posterit, et

et TE, sacrosque cineres TVOS, nullo non tempore uenerabuntur. TIBI pro tuis meritis, TIBI pro FILIO TE DIGNISSIMO, quem Germaniae, inprimis autem Saxoniae tuae, reliquisti, maximas, quas concipere pectus humanum potest, agimus grates. Hic enim est, a quo afflictus populus solatium expectat. Hic est, qui gentibus dolore percussis nouam affert spem, nouamque saeculo gloriam conciliabit.



ORTVNATISSIME itaque FRIDERICE AVGVSTE, salue; salue, PRINCEPS, MAXIMO PARENTI NEQVE NOMINE, NEQVE VIRTVTIBVS, IMPAR! salue, gentemque tuam dolore oppressam erige!

Obtinuisti felicibus auspiciis, qui natura TIBI debebatur, principatum, atque amoris tui, quo Saxoniam complecteris, tot iam dedisti documenta, ut, cui humanitas tua exoptatam non afferat consolationem, is ferreo pectore esse uideatur.

Viuas, MAGNE PRINCEPS, et populis TVIS uiuas feliciter, uiuas gloriose, uiuas diu! Viuas felix consiliis, potens prosperrimo rerum successu, et omni fortuna inuictus! DEVS IMMORTALIS TE, ciuium TVORVM delicias, Germaniae praesidium, Europae decus, amet atque seruet, ut TVOS quam diutissime amare, et quam felicissime seruare, possis. DEVS semper felix fortunatumque esse iubeat, quicquid pro salute patriae, pro dignitate Imperii, pro temporum TVORVM gloria, deliberabis, statues, molieris, ages! DEVS uolens propitius impertiatur EXCELSAE DOMVI TVAE perennitatem, et incrementa tam prospera, quae nulla uis fati, nulla temporum uicissitudo, aut uetustas,

debilitet ! Augeat PROLEM TVAM SERENISSI-  
MAM, quam inter haec iam auspiciatissimo omine,  
magnoque solatio, auxit, ALTERO FILIO PRIN-  
CIPE nuper felicissime nato ; efficiatque idem NV-  
MEN, ne, quae Heroum omni tempore feracissima  
fuit, Saxonicae stirpi unquam deficiat nepos, stre-  
nuus paternarum auitarumque heres atque aemulus!

Sic, quamdiu haec rerum duratura est uniuersitas,  
RVTA etiam florebit SAXONICA. Sic nunquam IM-  
PERIO ROMANO fortissimi aduersus hostes deerunt pro-  
pugnatores, IMPERIO, quod sub optimis inuicissimi  
CAROLI VI auspiciis effloruit, creuit, eminuit.  
Multiplicet AETERNVM NVMEN huius AVGVSTIS-  
SIMI IMPERATORIS annos; concedat EIDEM,  
ut uotis bonorum omnium iam diu expetitum oscula-  
ri possit ARCHIDUCEM. Ita felici omine, quod  
unusquisque exoptat, sub AVSTRIIS ALIS Impe-  
rium sacrum omni fruetur tranquillitate, et perenni-  
tas AVGVSTAE AVSTRIORVM DOMVS nullo  
alio sine, quam qui ipsius erit rerum uniuersitatis,  
circumscribetur.



№ 956. 20



vnd

№ 77-00

№. 5







SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
FRIDERICI  
AVGVSTI

REGIS POLONIARVM  
MAGNI DVCIS LITHVANIAE  
RVSSIAE PRVSSIAE MASOVIAE  
SAMOGITIAE KYOVIAE VOLHYNIAE  
PODOLIAE PODLACHIAE LIVONIAE  
OLENSCIAE SEVERIAE ET  
SCHERNIKOVIAE

SAXONIAE IVLIAE  
T MONTIVM VT ET ANGRIAE  
HALIAE SACRI ROMANI IMPERII AR-  
CHALLI ET ELECTORIS LANDGRAVII  
E MARCHIONIS MISNIAE ET VTRIVS-  
IAE BVGGRAVII MAGDEBVRGENSIS  
INCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICI  
ARCAE RAVENSBERGAE ET BARBY  
ASTAE RAVENSTEINIENSIS  
ET RELIQVA

S GLORIOSISSIMAE MEMORIAE  
VM IN VTRAQVE FORTVNA MAGNVM  
TIONE ACADEMICA  
DEMISISSIME VENERATVS EST  
VS GODOFREDVS LAVRENTIVS RINK  
I. V. CVLTOR

ALTORFII+  
IS IQD. GVIL. KOHERSII ACAD. TYPOGR.

